







1697.

1. Beckmannus, Friden: De Martino, Episcopo Turonensi
2. Beierus, Adrianus: Clades ex proprio gladio seu
de reversionibus.
3. Beierus, Adrianus: De optione ad heredes transitio-
nem.
part Beierus, Adrianus: De conjuncta manu. 2 Impl. 1697
2 1749.
5. Beierus, Adrianus: De indictis juris in duobus.
6. Beierus, Adrianus: De cessione bonorum.
7. Beierus, Adrianus: De circulo creditorum
8. Brucknerus, Wilhelm Hieron: Functio ad audiendam
lectionem cursoriam (Heritio Simon), occasione cujus
dissentitur de Constitucionibus Turbiniam Imp. ecclesie.
Ficis.
9. Brucknerus, Wilhelm Hieronymus: De jurisdictione con-
muni
part Brucknerus, Wilhelm Hieronymus: De clandestinis sponsa-
libus juratis

1697.

11. Crausius, Rudolphus W. Ca., Decanus collegii medicorum:
Præsentium: De symbolismo alterationum corporum
caelestium et terrenorum (Dissertationi inaugurali
Georgii Heinrichi Rosenberg præmissum)
129^{at} Friesen, Joh. Bernhardus: De conventione norganatica
= 2 exempl. 1697 et 1737.
- 13^a ^{at} Lyncker, Nicolaus Christophorus: De jurebus speculorum milit.
Frisis. 2 exempl. 1697 et 1753.
14. Lyncker, Nicol. Christophorus: De militia togata
15. Muellerus, Joh. Tacubus: De occisione furis nocturnis.
- 16^{at} Muellerus, Joh. Tacubus: De jure partis majoris.
2 exempl. 1697 et 1751.
17. Wedelius, Georgius Wulffgangus: De spiritu vini.
18. Wildvogelius, Christianus, Collegii jurid. decanus: De jure
thesauri ad l. 2 D. de prodenet. Programmam inang. flectioni
cursoriae Jo. Christophori Böttiger præmissum

1697.

19. Wildvogelius, Christianus, Collegii juris. Decanus:
de re gradatione ad l. 2 C. Th. de curs. pall. et. l. 3
C. d. domesl. et. protect. (Programma inang. (lectioni
cursoriae Christiani Butner praemissum).
20. Wildvogelius, Christianus, Collegii juris. Decanus:
de spectatura ad l. 2. C. de crag. milit. am. Program-
ma inang. (lectioni cursoriae Wilhelmi Reichen praem-
issum).
21. Wildvogelius, Christianus, Collegii juris. Decanus: De vacan-
tibus ad l. 2 C. ut. dignit. ordo sero. Programma inang.
(lectioni cursoriae Christophi Ponsardi Baumgärtner praem-
issum).
22. Wildvogelius, Christianus, Collegii juris. Decanus:
de imaginibus majorum ad l. 22. C. de ~~re iudic.~~
ad min. tub. f. Programma inang. (lectioni cursoriae
Johann Inesti Schelkase praemissum).

23. Wildvogel, Christianus: De jure portarum.
24. Wildvogel, Christianus: De jure venationum...
25. Wildvogel, Christianus: De eo, quod justum
est circa tempestates...

1697, 21

26

CHRISTIANI VVILDVOGELII, JC.

CONSILIARII SAXO-VINAR. AULICI

ET ANTECESS.

COLLEGII JVRID. h. t. DECANI

DE

VACANTIBVS.

ad

L. II. C. ut dignit. ordo serv.

PROGRAMMA INAUGVRALE.

P.P. Jenæ. d. XVIII. Julij. A.O.R. M. DC. XCVII.

JENÆ,

Litteris Mullerianis 1697.



Onorem non ingens

tantum ad Virtutem incitamentum, sed & iustissimum ejusdem præmium esse, una Politicorum ac Jctorum vox est, pari omnium consensu emissa. Quamvis enim virtus ingenii humani dos sit ob sui ipsius incomparabilem præstantiam omnibus expetenda votis, vix tamen inter mortales (quæ est humanæ mentis imbecillitas) quisquam reperitur, qui ad eandem enixè contendat, nisi emolumentum quoddam ad se redundaturum expectet. Hinc præmiis ad virtutis semitam calcandam inducere homines & speciosa honorum pollicitatione calcar addere iis, qui in Rep. degunt, consultum visum est Legumlatoribus, quò & sic minori cum difficultate cives obirent ea, quæ ad tuendam civitatis salutem pertinent, & cuius juxta legum dictata incumbunt. Verè nimirum & sapienter Aristophanes scribit:

ἄτε δ' ὁ μισθὸς, ἔδ' ἐν ἐς ἑθ' ἡ τέχνη.

i.e. Neque præmium ullum est, ars nec ipsa item viget.
Nec non Martialis:

*Sint Mecanates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.*

Penstarunt id sapienti animi æstimatione augustissimi Rom. Imperatores, quando amplissima laborum præmia iis proposuerunt, qui præclaris Remp. meritis sibi sint obstricturi, atque honorum ornamentis eos quàm maximè cumulatam ivère, qui munus suscipere publicum, ac vires suas pro salute civitatis periclitari, imò vitam suam pro incolumitate civium profundere haud dubitaturi essent. Neque enim inani ambitione aut corruptionibus dignitatum fastigia acquiri sivère, sed jugi egregiarum virtutum exercitio parari voluerunt, quicquid aut ad nominis gloriam aut divitiarum amplitudinem nanciscendam ullo modo conducere posse videtur. Constat id ipsum (ut alia juris nostri nunc taceam loca) inprimis ex constitutione Imp. Theodosii

odofii & Valentiniani, qui in *L. fin. C. ad L. Jul. repet.* Florentio P. P. ita præcipiunt : *Sancimus, ejusmodi viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambitione, vel pretio, sed probata vita & amplitudinis tua solent testimonio promoveri.* Quem textum compilationi sacrorum canonum inferere dignatus est Gratianus in *can. XXVI. caus. 2. qv. 1.* Huc facit gravissima Zenonis Imp. sententia, quæ in *L. fin. C. d. Primicer.* sic enunciatur : *Illud præcipuè provisionem vestram flagitare perspeximus, ne per ambitionem, vel gratiam, aut cujuslibet occasionis obtentu, vel laborum seu sollicitudinum specie, publicorum cuiquam liceat aliquando graduum seriem conturbare, & temporum ratione calcata dudum militantibus anteferri, & quæ longis prolixisque stipendiis defensa jam pollicetur senectus, gratiosâ festinatione surripere.* Multa hinc legibus civilibus in odium *Otiosorum*, citra ordinis secularis & ecclesiastici discrimen, constituta reperimus. Nec enim permittebatur antiquitus, ut quispiam ex cohortalibus *otio traditus quietis artibus* sine indultu Magistratuum superiorum *immoraretur*, prout loquuntur Augusti in *L. XI. C. d. cohortal. lib. XII.* Sic & vetabatur quondam, ne quis sub prætextu Decani seu Collegiati, cum id munus non impleret, aliis sese functionibus subtraheret, neve *sub specie muneris, quod minus exequatur, alterius muneris oneribus relevaretur.* Vnde si quis eorum *sub nuda appellationis velamine collegiatum seu Decanum se appellasset, pro ipso alium subrogari, qui predicto muneri sufficiens approbaretur, sancivère Impp. in L. IX. C. d. Sacros. Eccles.* Et in *L. XLII. §. 10. C. d. Episc. & Cler.* prohibet Justinianus Imp. *ne ex sola ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei.* Quos Clericos propterea *Fratres otiosos* vocat Barbosa in *Præf. d. Jur. sacr. ad d. l. 42.* Commodè huc referre licet, quæ de *VACANTIBVS* hinc inde in Legibus Codicis constituta deprehenduntur. Nimirum *VACANTES* dicebantur, qui nullo certo corpori erant adstricti, aut nulla corpori cuidam societate conjuncti, sed extra istum numerum degentes, à curis & laboribus publicis planè erant alieni, prout vocem hanc Jac.

Gothofr. ad L. CXXXVII. C. Tb. d. Decur. interpretatur. Licet autem in d. Leg. nonnulli pro verbo *Vacantes* legere *Vagantes* malint, atque non nominis solum, sed & ipsius vitæ inter eosdem sit quædam convenientia, id tamen displicet Gothofredo, qui propterea lectionem communem retinendam esse monet, in *Comment. ad d. l.* Vocabantur hi *Vacantes* etiam **VACANTI**, quas latinas voces Græcis in suam traducere linguam placuit, ita ut *βανδύτης*, nec non *βαναντισβοι* dicerentur apud Suidam, Synesium & alios, quos connotat Meursius in *Lexic. Græc. barbar.* Neque tamen hi soli *Vacantium* nomine insigniebantur, sed tales appellabantur quoque, qui aliàs *Supernumerarii* dicuntur in L. XV. & XVII. C. Tb. d. *Palatin.* sive quos præter numerum consuetum in Collegium adsciverant Principes. Solenne namque id erat Romanorum Principibus, ut quos necdum aliquo militiæ aut officiorum genere decoratos vellent, aut non possent, inter *Vacantes* interim haberent, ita tamen ut *præsentium locum obsequendi ordine mereri possent.* L. fin. C. Tb. d. *agent. in reb.* aut morte aliorum in decedentium locum promoverentur. Goth. ad d. L. fin. Vocantur hi Pollioni & Lampridio *Adscriptii*, nec non *Allecti* & *inter Agentes.* Vid. *L. ult. C. Tb. d. honor. codic. & L. I. C. d. Silentiar.* Constabant igitur primis christianorum Impm. temporibus collegia atque inprimis Domesticorum & Protectorum scholæ ex tribus hominum generibus, quorum alii erant *Laboriosi*, seu actu militantes: alii *Oriosi*, sive meritis nonnullis aut suffragiis agentium ipsorumvè Imperatorum in collegium cooptati, neque tamen quicquam laborantes: alii demum *Inutiles*, qui nihil unquam operæ vel in necessitatibus publicis vel expeditionibus bellicis navaverant. Hinc inter *Comites* quoque sacri Palatii erant, qui *Vacantes Comites* dicebantur, scil. qui post munus aliquod gestum & post comprobatos labores Comitivam primi gradus impetraverant, atque adeo honorabiles Viri vocabantur, iisque opponebantur, qui Comitivam gratia vel pretio obtinuerant, L. un. C. Tb. d. *Comit. vacant.* ab his præterea diversi, qui codicillarem saltem dignitatem adepti *Honorarii* dici consueverant. *Tit. iiii. C. Tb. d. honorar. codicill.* Ut vero istorum, quos modo laudavimus, Imperatorum

ævo talismodi *Vacantes* & *Otiosi* in Rep. & corporibus tolerarentur ; successu tamen temporis autoritas eorum partim diminuta , partim ipsi penitus exulare jussi atque inviti ad labores Reip. fuerunt protracti. Quod enim ad istos attinet *VACANTES*, qui *presentes in comitatu illustris dignitatis cingulum meruerunt*, hos post illos, qui in actu positi illustres peragunt administrationes, atque sic secundo loco ponendos esse, fancitur in *L. II. C. ut dignit. ord. serv.* In domesticorum quoque numero Laboriosos *OTIOSIS*, i. e. Vacantibus *preferri* voluerunt & *ne abuterentur temporis privilegio ii, qui sibi potius quam Reip. omni militia sua tempestate vixissent*, prohibuerunt Arcadius & Honorius in *L. VI. C. Th. d. Domest.* Cæteros verò, qui *VACVI* publico inventi fuerint officio, in complexum ordinis *Naviculariorum applicari*, jusserunt Gratianus, Valent. & Arcadius in *L. III. C. Th. d. Naufrag.* quæ in Codice Justiniano sub eodem titulo extat quidem, verùm à Triboniano interpolata & truncata. Iidem Imp. in *L. III. C. Th. d. Tabular.* mandant, ut si aliquem ex Curialibus aut fatalis necessitas, aut inopia repentina, aut aliquis casus subtraxerit, ex *VACANTIBVS* *fidâ peruestigatione compleantur curiæ & officia.* Sic & Theodosius M. in *L. CXXXVII. C. Th. d. Decur.* jubet incolas & *VACANTES*, qui tamen idonei sunt, *adstringi officii curiarum.* Idem statuit Honorius in *L. CLXXIX. C. Th. d. r.* dum *VACANTES* & *nulla veterum dispositione ullius corporis societati conjunctos curiæ atque collegiis singularum urbium voluit subjugari.* Quin & qui de minusculis corporibus aut certe *OTIOSIS* idoneus *approbatus fuerit, functioni Mancipatus addici* jubetur in *L. un. C. Th. d. Mancip.* Saluberrimas hæc sacratissimorum Imperatorum constitutiones cuncti, qui Reip. gubernaculis præsent, jure meritoque observant, quando nec *Otiosos* & *Vacantes* incivium numero tolerant, nec ab ipsis honorum præmia illis, qui labore suo publicum promovent commodum, præcipi concedunt. Nihil enim à virtutum tramite homines efficacius retrahit, quàm si ad dignitatis fastigium eos elevari cernunt, qui nec meritis clari, nec laboribus affluenti, sed ignaviæ pravisque voluntatibus dediti, aut ambitione vana tumidi ab omnibus noscuntur. Quam ob rem gravissimè iterum pronunciaverunt Imp.

in *L. I. C. Th. ut dignit. ord. serv.* Nihil esse tam injuriosum in conservandis & custodiendis gradibus dignitatum, quam usurpationis ambitionem. Cæterum ab istis, quos pertrinxit hucusque, otiosis atque vacantibus longissimè abest, quem jam in Patrum Academiæ conspectum producimus, solertissimus Jurium Cultor, nunc Candidatus dignissimus


DN. CHRISTOPH. CONRADVS Baumgärtner.

Hic enim, quemadmodum per temporis illud spatium, quo in Academiis vixit, Vacunæ non litavit, sed in Themidos castris stipendia meruit amplissima, ita quoque dignus à Collegio nostro æstimatus fuit, cui honorum conferantur insignia atque impertiantur tituli, qui strenuis juridicæ artis cultoribus ab Imperatoria Majestate sunt destinati. Quò verò de honestis Candidati nostri natalibus, vitæ egregiè actæ curriculo & eximiis hucusque exantlatis laboribus eò plenius constet, pro more in Academiis recepto de ipso in sequentibus edisserere constituimus. Quemadmodum is patriam minimè obscuram, *Pappenheimium* nimirum, quod illustrissimorum Comitum *Pappenheimiorum*, Sacr. Rom. Imp. Mareschallorum inferiorum & Potentiſſ. Elect. Saxo. Vicariorum hereditariorum arx & potissimum oppidum audit, ex Numinis prouisu nactus est, ita & de nobilissimis sibi gratulari habet genitoribus. Patrem celebrat nobilissimum & excellentissimum Virum Dn. **GEORGIUM FRIDERICVM Baumgärtner**/ tunc quidem Comitum *Pappenheimiorum* Syndicum, postmodum verò Serenissimi Marchionis *Onoldo-Brandenburgici* Consiliarium Camerae, avumque paternum Dn. **JOH. CHRISTOPHORVM Baumgärtner** / J. U. Doctorem & Serenissimorum Marchionum *Brandenburgicorum* in provinciali, quæ *Onoldi* floret, curiâ Consiliarium atque Assessorem gravissimum; Matrem verò laudat eminentis virtutis foeminam **SABINAM DOROTHEAM**, ex Theologo maximè venerabili Dn. **ANDREA IMMERDARIO**, qui Serenissimo Principi *Onoldino* à confessionibus, consiliis ecclesiasticis & concionibus aulicis erat, prognatam. Qui parentes optimi, etsi pignus hoc sibi divinitus creditum dexterrimorum præceptorum, quos domi alebant, industria maturè poliendum curaverint, non tamen curas suas eoque, donec illud ad perfectam componeretur animi pulchritudinem,

nem, jungere valuerunt, patre ipso inopinatâ ac præmaturâ morte inter incredibiles totius familiæ planctus abrepto. Relictus sic Noster curâ soli mœstissimæ & cum viduarum acerbiorè fato confluctantis genitricis, ingentem studiorum adhuc teneriorum remoram experiri faciliè potuisset, nisi *Serenissimi Principis*, Patris Patriæ munificentissimi, auxilium intervenisset, atque orbatum Patre ad illustre *Heilbrunnense gymnasium*, levatâ quadantenus jacturâ, promovisset. Ibi verò magistros docendi artificio admodum claros adeptus, non tantum ex ambrosio ore Viri de Ecclesia & gymnasio egregiè meriti Dn. M. MARTINI CLEMENTIS COELERIReligionis ab humanis commentis repurgatæ præcipua capita hausit, sed etiam sub percelebris, qui toti gymnasio præest, Dn. M. JOH. FRIDERICI KREBSII, atque clarissimi Dn. M. JOHANNIS STVBNERI auspiciatissimo ductu in humanioribus, quas vocant, literis & quavis Philosophiæ parte eximiè profecit. Iis itaque studiorum fundamentis, quorum potissimum causâ gymnasia frequentatur, cum laude singulari jactis, academicas quoque palæstras ad acquirendum eruditionis fastigium visitare decrevit, atque hinc florentissimæ nostræ Salanz famâ longe lateque diffusâ allectus, & sapientissimorum virorum, ex quorum nutu inconficiendo studiorum cursu pendeat, consilio confirmatus, ad nostras Musas anno hujus seculi nonagesimo tertio accessit. Hic verò primò omnium, ut pectus suum scientiæ avidissimum solidiori artium philosophicarum cognitione uberius paulò impleteret, Collegam nostrum pro salute Academiæ cum invidendo bonorum applausu magnoperè laborantem, excellentissimum moralium Professorem, Dn. HEBENSTREITIVM, cum lectionibus publicis pariter ac privatis *theoreticam & practicam Philosophiam* illustraret, ingenti mentis alacritate auscultavit. Nec minus duo fulgentissima Jurisprudentiæ lumina venerabatur, quando nunc illustrem Dn. NICOL. CHRISTOPH. LYNCKERVM Sereniss. Duc. Saxo-Vinar. Consiliarium Status intimum, ac Supremi Consistorii Sacri Præsidentem gravissimum, nec non Collegiorum Juridicorum Jenens. Ordinarium, publicè *Jus Canonicum*, privatim *universi Juris* principia explanantem, nunc Magnificum collegii juridici Seniore & Antecessorem longè celeberrimum Dn. JOH. PHILIPPVM SLEVOGTIVM, *Juris publici* præcepta pecu-

peculiari operâ inculcantem sedulus audiebat. Neque nihil meis prælecti-
onibus publicis, quas in *Struvianum Juris civilis Syntagma* adornavi, ut
& reliquorum Professorum Scholis debere sese profiteretur. Publicorum
Doctorem dexteritati in ornando & instruendo Nostro suam quoq; ope-
ram adjunxit nobilissimus Jurium Doctor Dn. JOHANNES CHRISTI-
ANVS SCHROETERVS, Curiæ provincialis Advocatus ordinarius,
cùm universum Juris ambitum privatos intra parietes commonstraret.
Vtut verò insignem Juris peritiâ, qvâ aliquoties ad publica Oppo-
nentis munia admissus luculentis sese prodiderat documentis, apud
nos sibi Noster comparasset, ingenti tamen, qui excitatæ indolis impe-
tus est, flagrabat desiderio, Liphiam quoque, præcipuum illud Saxoniz
decus, adeundi, & quæ ibi ad stuporem seculi loqvuntur disertissima
Juris oracula, ad suos constabiliendos amplificandosque profectus vi-
fendi. Nempe tacitâ defixus admiratione exaudivit ibidem Magnifi-
cum Dn. MYLIVM, *Institutiones Justinianæ* publicè explicantem,
Excellentissimum Dn. FRANCKENSTEINIVM, *Juris publici* funda-
menta ad Institutionum Rhetianarum ductum, nec non *Historiam*
præcipuorum, quæ nunc in orbe florent, Regnorum eruditissimè tra-
dentem, Consultissimum Dn. PHILIPPI omnes Juris materias *Synopsi* suâ
comprehensas domesticis commentationibus illustrantem, pariterque
de eo, quem istæ in foro præstant, usu, singulari methodo exponentem.
Confecto sic studiorum, academicorum cursû exantlatisque feliciter la-
boribus, ad nostram hanc Universitatem, in qua prima studii juridici
fundamenta jecerat, reversus, præmium virtutis promeritum expec-
tare constituit atque hoc suum laudabile desiderium ordini nostro mode-
stè aperuit. Nos honestis hisee petitis eò lubentius velificati sumus,
quò certius nobis de egregiis Candidati hujus eximii profectibus jam
antè constitit. Admissus igitur eundem ad consueta examina, & in utro-
que talem invenimus, qui omnium suffragio dignus esset, ut ad reliqua
specimina publica admitteretur & honorum condecoraretur titulis am-
plissimis. Quare cum craftina luce hora X. pomeridiana ad recitandam
lectionem, quâ cursoriam vocant in *L. ult. C. d. revoc. bis que in fraud. credit.*
cathedram sit confensurus publicam, Magnificum Dn. RECTOREM,
Aulæ Academiæque proceres, nec non Doctores, Magistros & doctos
reliquos, ut constituto tempore frequentes in Acroaterio juridico cõn-
fluant, suaque benevolentia & attentione optimi Candidati laudabiles
operas cohonestent, officiosè & peramanter rogo. P. P. Jenæ,
d. XVIII. Julii. A. O. R. M. DC. XCVII.





Jena, Diss., 1697 (1)

ULB Halle
004 389 646


3



Mus A+15

W07





Inches

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

Centimetres

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

1697, 21

26

VILDVOGELII, JC.

AXO-VINAR. AULICI

NTECESS.

RID. h.t. DECANI

DE

NTIBVS.

ad lignit, ordo serv.

INAUGVRALE.

A.O.R. M. DC. XCVII.

ENÆ,

ullerianis 1697s